Super omnem aquam viriditas. & ad
oram fluminis omne fenum evelletur.
Gratia sicut paradisus in benedictionibus.
& misericordia in seculum permanet. Vita sibi
sufficientis operarii condulcabitur: &
in ea invenies thesaurum sibi. Edifica
tio civitatis confirmabit nomen: &
super hanc mulier inmaculata compu
tabitur. Vinum et musica letificant
cor: & super utraque dilectio sapientie.
Tibie & psalterium suavem faciunt me
lodiam: & super utraque lingua sua
vis. Gratiam & speciem desiderabit oculus
tuus. & super hec virides sationes. Ami
cus & sodalis in tempore convenientes.
& super utrosque mulier cum viro. Fratres
in adiutorium in tempore tribulationis.
& super eos misericordia liberabit. Aurum &
argentum & constitutio pedum: &
super utrumque consilium beneplaci
tum. Facultates & virtutes exaltant
cor. & super hec timor domini. Non est
in timore domini minoratio. & non est
in eo querere adiutorium. Timor do
mini sicut paradisus benedictionis.
& super omnem gloriam operuerunt illum.
cap. xl. Fili in tempore vite tue ne indigeas; me *De indigentia*
lius est enim mori quam indigere. Vir respiciens *in mensam aliene*
piciens in mensam alienam: non est
vita eius in cogitatione victus. Alit
enim animam suam: cibis alienis.
Vir autem disciplinatus & eruditus cus
todiet se. In ore imprudentis condulca
bitur inopia: & in ventre eius ignis
ardebit. O mors quam amara est memo *De memoria*
ria tua homini pacem habenti in sub *& iudicio*
stantiis suis. viro quieto. et cuius vie *mortis.*
directe sunt in omnibus. & adhuc va
lenti accipere cibum. O mors bonum est
iudicium tuum homini indigenti.
& qui minoratur viribus. defecto etate
& cui de omnibus cura est. & incredibili
qui perdit sapientiam. Noli metuere
iudicium mortis. memento que ante
te fuerunt. et que superventura sunt
tibi. hoc iudicium a domino omni car
ni. & quid superveniet in beneplacitum
altissimi. sive decem. sive centum. sive
mille anni. Non est enim in inferno
accusatio vite. Filii abhominationum
fiunt filii peccatorum. & qui conversantur
secus domos impiorum. Filiorum peccatorum
periet hereditas. & cum semine eorum
assiduitas obprobrii. De patre impio que
runtur filii. quoniam propter illum
sunt in obprobrium. Ve vobis viri im
pii. qui dereliquistis legem altissimi.
Et si ~~maledicti~~ nati fueritis: in maledictione
nascemini. & si mortui fueritis: in
maledictione erit pars vestra. Omnia
que de terra sunt in terram conver
tentur: sic impii a maledicto in perdi
cionem. Luctus hominum in corpo
re ipsorum: nomen autem impiorum dele
bitur. Curam habe de bono nomine
hoc enim magis permanebit tibi quam
mille thesauri. magni et preciosi.
Bone vite numerus dierum: bonum
autem nomen permanebit in evum.
Disciplinam in pace conservate filii.
Sapientia enim abscondita. & thesau
rus invisus. que utilitas in utrisque?
Melior est homo qui abscondit stulticiam
suam: quam homo qui abscondit sa
pientiam suam. Verumtamen rever
temini in his que procedunt de ore meo.
Non est enim bonum omnem rever
verentiam observare. & non omnia
omnibus bene placent in fide. *De omnibus viciis declinandis*
Erubescite patrem & matrem de for cap. xl.

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/13, fol. [2]r – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/69496)